


17

2530

A
36-148



11 to 2 2

12.5.187

3-3-227

№ 3
25-170

Biblioteca Universitaria	
SALA A	
Estadía	36
Tsbia	
Numero	148


LIBRARY OF THE
SPANISH

Ms. A. 1. 2. 1. 1.



121865312

LITTE
APOSTOLICAE
S
N
M



(2)

PII PAPAE SECUNDI

ad universitatem scholæ Coloniensis

DIPLOMA,

In quo, diui Augustini exemplo, sua
quædam retractat, quæ iuuenis, ac
penè laicus scripserat.

CUM PRIVILEGIO.



VENETIIS,

Ex officina Iordani Zileti,

M D LXIII.

PPI PAPAE SECVNDI

clausura hanc habet Coloniam

DIPLOMA

In quo, dicit Augustini exemplum, sua
quodam tenore, quod inuenit, se
per hanc hanc tenore.

OMNIBUS PRINCIPALIBUS

VENERABILIS

Ab officio hanc hanc tenore.

M D LXXXIII

145598121

PII PAPAE II. BVLLA

*retractationum omnium dudum per eum in minoribus adhuc agentem
pro concilio Basilien. & contra Eugenium
summum Pontificem scriptorum.*



DIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis, rectori & uniuersitati scholæ Colonienſis, salutem & Apostolicam benedictionem. In minoribus agentes non dum sacris ordinibus initiati, cum Basileæ inter eos uersaremur, qui se generale concilium facere, & uniuersalem ecclesiam repræsentare aiebant, dialogorum quendam libellum ad uos scripsimus, in quo de auctoritate concilij generalis, ac de gestis Basiliensium, & Eugenij Papæ contradictione ea probauimus, uel damnauimus, quæ probanda, uel damnanda censuimus: quantum capiebamus, tantum defendimus, aut oppugnauimus: nihil mentiti sumus, nihil ad gratiam, nihil ad odium retulimus. existimauimus bene agere, & recta incedere uia: nec mentis nostræ aliud erat obiectum, quàm publica utilitas, & amor ueri. Sed quis non erat mortalis? Sapientem inquit philosophi nunquam errare, uerum est. At quis sapiens, nisi bonus? quis bonus, nisi solus Deus? Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum, inquit propheta regius. Declinauimus & nos ab utero matris, errauimus in inuio, & non in uia ambulauimus, in tenebris, & procul à uera luce recessimus: nec nobis tantum errauimus, alios quoque in præcipitium traximus, & cæcis ducatum præbentes cæci cum illis in foueam recidimus. forsitan & aliquos ex uobis scripta nostra decipere, & in deuia deduxerunt: quorum sanguinem si de manibus nostris requisierit dominus, non habemus quod respondere possimus, nisi nos, ut homines, peccauisse; qui arbitantes rectum iter ostendere, obliquum monstrauimus. in misericordia tantum Dei spes nostra sita est, quæ super omnia opera eius elucet. Sed haudquaquam satis fuerit diuinam misericordiam implorare, & dicere, Parce domine, parce peccatis nostris, nisi pro uiribus uulnera, quæ infiximus ueritati, curare annitatur: & sicut est in fabulis, Sagitta, quæ uulnerauit, afferat opem: siue ut canit ecclesia, Medelam inde ferat, hostis unde læserat. mortem quidam prius sibi consciuerint, quàm uideri uelint aliquando malè sensisse: & non nulli ne uel ad horam uideantur errasse, semper errant; & dum uel minimam tolerare honoris iacturam nequeunt, totum abiiciunt, & perpetua notantur infamia, & in pessimas prolabantur hæreses: qui ne appareant inconstantes, pertinaces efficiuntur. superbissimi hoc agunt, qui uideri dii, non homines uolunt, quales Constantiæ combusti sunt nostra ætate in magno conuentu Hieronymus & Ioannes hæresiarchæ. Nos homines sumus, & ut homines errauimus: neque imus inficias, multa, quæ diximus, scripsimus: egimus damnari posse; uerum non ut Arrius, Eutices, Macedonius, aut Nestorius, & alia blasphemorum turba ex animo damnatam uiam elegimus. seducti peccauimus, ut Paulus; & ignoranter persecuti fuimus ecclesiam Dei, & Romanam primamque sedem. propter quod prostrati ante oculos diuinæ pietatis supplices oramus, Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias ne memineris, &c. Pudet erroris, pænitet malè fecisse, & malè dictorum scriptorumque uehementer pænitet: plus scripto, quàm facto nocuimus. Sed quid agamus? scriptum & semel emissum uolat irreuocabile uerbum. Non sunt in potestate nostra scripta, quæ multas inciderunt manus, & uulgò leguntur. utinam latuissent, quæ sunt edita. nam si futuro in sæculo manserint, & aut malignas mentes inciderint, aut incautas, forrasse scandalum parient. Qui hæc scripsit, inquit, in beati tandem Petri cathedra sedit, & Christi saluatoris uicariatam gessit: ita scripsit Aeneas, qui postea summum Pontificatum adeptus, Pius II. appellatus est, nec inuenitur mutasse propositum. qui eum elegerunt, & in summo Apostolatus uertice collocarunt;

B ab iis

ab iis scripta eius approbata uidentur. Verendum est, ne talia nostris aliquando successoribus obiiciantur; & quæ fuerunt Aeneæ, dicantur Pij; atque ab ea sede auctoritatem uendicent, ad quam ignoranter latrauerunt. Cogimur igitur, dilecti filij, beatum Augustinum imitari, qui, cum aliqua in suis uoluminibus erronea inferuisset, retractationes edidit. Humilis, & probatissimi uir ingenij, qui suas ineptias uerecundè confiteri, ac corrigere, quàm impudenter defendere maluit. Idem & nos faciemus: confitebimur ingenuè ignorantias nostras, ne per ea, quæ scripsimus, iuuenes error irrepat, qui possit in futurum Apostolicam sanctam sedem oppugnare. nam si quem decuit unquam Romani primique throni eminentiam & gloriam defendere, ac extollere; nos illi sumus, quos sine ullis meritis pius, & misericors Deus sola dispensatione sua ad beati Petri solium, & dilectissimi filij sui domini nostri IESU Christi uicarium euocauit. Quibus ex rebus dilectiones uestras hortamur, & in domino commonemus, ne prioribus illis scriptis & inhæreatis, aut fidem ullam præstetis, quæ supremam Apostolicæ sedis auctoritatem uobis pacto elidunt, aut aliquid astruunt, quod sacrosancta Romana non amplectitur ecclesia. Suadete omnibus, ut id solium præ ceteris uenerentur, in quo saluator dominus suos uicarios collocauit, & quod beati Apostoli Petrus, & Paulus suo sanguine dicauerunt. nec putetis diuinam prouidentiam, quæ cuncta gubernat, & nihil negligit, eorum, quæ creauit, inordinatam reliquisse militantem ecclesiam: quæ cum sit sponsa Christi, profectò à Deo est, & ordinem habet, dicente Apostolo, quæ sunt, à Deo ordinata esse. requirit autem ordo, ut inferiora à superioribus gubernentur, & ad unum tandem perueniatur, tanquam principem & moderatorem cunctorum, quæ infra se sunt. Sicut Grues unam sequuntur, & in Apibus unus est rex: ita & in ecclesia militati, quæ instar triumphantis habet, unus est omnium moderator, & arbiter IESU Christi uicarius: à quo, tanquam capite, omnis in subiecta membra potestas & auctoritas deriuatur, quæ à Christo domino Deo nostro sine medio in ipsum influit. nec profectò in alium, tanquam sui exercitus ducem, supremam auctoritatem Christus principaliter deriuasset, quàm in suum uicarium, qui primus fuit Petrus, cui commissam nouimus Dominici gregis curam; nec duos pluresue Petros euangelistæ commemorant; nec duos aut plures instituit dominus, qui suum locum tanquam capita tenerent æqualia: sed unum constituit, ut uerticem ac ducem, & pastorem uniuersi gregis, Simonem Petrum, dicens, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo clauis regni cælorum. & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælo. & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælo. Et pasce oues meas. Quæ nulli alteri seorsum dicta leguntur, nisi Petro, ut in Petro unitas & summa contineretur auctoritas: nec alius à petra dictus est Petrus, nisi Simon; ut intelligeremus unicum esse ueræ & solidæ petræ, id est, Christi, (ut Paulus exponit) locum tenentem Simonem Petrum, qui solus pro domino in periculo constituto exemit gladium. Petrus igitur, & successores eius Romani Pontifices primatum in ecclesia tenuerunt, & nos hodie quamuis indigni sola domini uoluntate digni tenemus: et quicumque Romanæ secundum canonicas sanctiones præficitur ecclesiæ, quamprimùm electus est in sacro collegio, supremam à Deo potestatem sine medio consequitur, & per ordinem in omnem diffundit ecclesiam; cuius diuino iudicio peccata punienda relinquuntur. Si quid aduersus hanc doctrinam inueneritis aut in dialogis, aut in epistolis nostris, quæ plures à nobis sunt editæ, aut in aliis opusculis nostris; (multa enim scripsimus adhuc iuuenes) respuite atque contemnite. sequimini quæ nunc dicimus; & seni magis, quàm iuueni credite; nec priuatum hominem pluris facite, quàm Pontificem. Aeneam reiicite, Pium recipite. illud gentile nomen parentes indidere nascenti: hoc Christianum in Apostolatu suscepimus. Dicent fortasse aliqui cum Pontificatu hanc nobis opinionem aduenisse, & cum dignitate mutatam esse sententiam: haud ita est, longè aliter actum. Audite filij conuersationem nostram: breuis narratio erit, quæ uobis, quantum ad rem attinet, ueritatem aperiet, & obiectioni faciet satis. Anno salutis primo, & 30 supra mille 400, cum Dominico Capranica, quem Martinus quintus in secreto consistorio Cardinalem creauerat, Eugenius III. spreuerat, Basileam petiuimus, ibique concilium inchoatum inuenimus, uerùm ab Eugenio reuocatum, quamuis congregati noluerant obedire,

dire, afferentes iam inceptum concilium sine consensu patrum, qui conuenissent, haud
quaquam potuisse dissolui. Iulianus aderat sancti Angeli Cardinalis, natione Roma-
nus, moribus & doctrina conspicuus. Is cum ceteris praestaret, audita Eugenij reuo-
catione, praesidentiam dimisit, tanquam summo Pont. uellet obedire: sed cum auge-
sceret in dies Eugenio uel inuito concilium, & multi ex diuersis regionibus Episcopi,
& regum legati aduentarent, Cardinales quoque ex Romana curia profugi in dies non
nulli concurrerent, praesidentiam resumpsit, & auctoritatem concilij mirum in modum
extollens, eminentiam primae sedis suppressere coepit. Venientes Eugenij legatos,
& potestatem Romanorum praesulum magnificantes apparenter confutauit: & cum esset
facundissimus, facile persuasit auditoribus quae cupiebat. Cardinales ex urbe profecti,
Eugenio infensi, uitam eius moresque carpebant: accedebant in horas cateruatim no-
ui curiales, qui (ut est omnis multitudo maledica, & inimica principi) Eugenij no-
men modis omnibus lacerabant. Nos, qui ex patria iuuenes non ex urbe illuc migra-
ueramus, & noua tum primum auis ex Senensi gymnasio euolaueramus, rudes & inex-
perti uera esse arbitrabamur quaecunque dicebantur. nec putabamus mentiri alios:
qui nesciremus ipsi mentiri: atque ut est innatum homini, tetra & horrenda crimina
odio habebamus. nec Eugenium diligere poteramus, quem tot tantique testes indi-
gnum Pontificio dicerent. Aderant legati Parisiensis scholae, cuius est fama percele-
bris: affuerunt & aliquando uestri & aliorum studiorum Germanicae nationis oratores:
& uno cuncti ore concilij generalis auctoritatem ad caelum efferebant. De potestate
Rom. Pontificis pauci erant, qui loqui praesumerent, omnes, qui publice loquebantur,
prurientes auribus multitudini applaudebant. Accessit & ipsius Eugenij consensus,
qui dissolutionem concilij a se factam reuocauit, & progressum eius approbavit, cum
reconciliata synodo Eugenio uideretur, & pax ecclesiae data. praeterita enim omnia per
suas litteras concilij patres Eugenio sese remissuros, & pedes eius tanquam beati Petri
exosculaturos promiserant, si reuocata dissolutione, concilio cursum permitteret, at-
que illi cohaereret. Nouae intercessere discordiae, tum aliis de rebus, tum potissimum su-
per translatione concilij, Graecorum causa: in alium locum Eugenus in Italia non
sine ratione concilium petebat: popularitas synodalis transire montes horrebat, & in
Auiuione, aut in Sabaudia locum desiderabat. Adiuerunt per id temporis duo uiri ex
Italia Basiliense concilium, Nicolaus Panormitanus Archiepiscopus, & Ludouicus Pon-
tanus Apostolicae sedis notarius, Alfonsi Magni regis oratores, qui, uelut duo orbis si-
dera, ceu Pontificij iuris, & totius ciuilibus sapientiae duo praecipua lumina & clarissima,
censebantur. Hi dictis scriptisque concilij gesta probabant, Eugenij facta damnabant:
nec erat qui aut uellet, aut auderet dicta eorum refellere. Quid ageremus? audire po-
tuimus, non discere. Rude nimis ingenium est, quod per singulos dies audita, & in-
culcata non capit. Quales magistri sunt, tales discipuli euadere solent. Paucos inue-
nias Aristoteles, qui Platonica norint destruere dogmata. Non est discipulus supra ma-
gistrum, inquit dominus: nec nos magistrum potuimus superare: Iulianus nobis, &
Nicolaus, & Ludouicus, & alij complures fuere magistri: schola Basiliensis conuen-
tus, in quo raro aliquis Eugenij causam defendit. Aduersus concilij dignitatem mu-
tire aliquid, crimen haeresis fuit. Vna omnium uox concilium Eugenio praeferebat.
De sedis Apostolicae praecellentia aut silentium, aut contemptus: Concilium, concilium
cuncta sonabant. Didicimus ergo quae audiuius, & post aliquot annos existimantes
nos aliquid esse, diximus, ut est apud Satyricum, *Semper ego auditor tantum, nunquam ne
reponam?* puduit semper discipulum gerere, subtraximus ferulae manum, coepimus
loqui, & magistri personam induimus. scripsimus epistolas, & opuscula. hoc omni-
bus passim datur: docti & indocti scribunt: & quae scripsit ipse, nemo contemnit, nisi
editionis feruorem tempus extinxerit. nobis placebant scripta nostra more poetarum,
qui poemata sua tanquam filios amant. Nec in Basilea quenquam inueniebamus qui ea
damnaret: probant enim similia similes: applaudebamus nobis ipsis, & in editionibus
nostris gloriabamur. & quanquam postea Eugenus concilium in Italiam transfulerit,
& cum Graecis Ferrariam, ac demum Florentiam conuenerit; quanquam Iulianus sancti
Angeli, & Ioannes sancti Petri Cardinales, quibus plurimum credebamus, ad Euge-
nium

nium defecissent; quanquam paucissimi in fide Basiliensi remansissent: Nolimus tamen credere, existimantes cunctos, qui abibant, metu recedere, ne bona temporalia perderent. & cum nihil haberemus, quod nobis auferri posset, perseuerandum putauimus, ne partem, quæ uerior nobis apparebat, relinquentes, detrimentum animæ faceremus. Mansimus igitur Basileæ, quoad Eugenio, ut credidimus, iusto iudicio deposito Amedeus Sabaudiensis susceptus est, & Felix quintus appellatus: quem non ut idolum, quod erat, sed tanquam uerum Christi uicarium uenerati fuimus, nihil ad hæc sinistri putantes intercessisse. At cum Fridericus Romanorum rex Aquisgrani coronatus domum repetens, Basilea transitum fecisset; rogatusque Felicem illic præsentem accedere nullo pacto persuaderi potuisset, ut honorem ei, tanquam Rom. Pontifici, exhiberet, aut publicè cum eo uerba misceret: tum primùm considerauimus possibile esse, quòd partem erroneam sequeremur, quando rex imperator Romanorum futurus in tanto negotio dubius esset, & ad Eugenium inclinaret magis. multùm & sæpe inter nos ipsos cogitauimus quis esset modus inueniendi uerum. nunquam enim uolentes errauimus. rogati in familiam Friderici transire, non reuimus. erat tunc ille cum tota ferè Germania neutralis. Concilium Basileæ dicebant esse Germani, & idolum eius respuebant, Eugenium Christi uicarium appellabant, & concilium ab eo celebratum recusabant, nec Eugenio, nec Basiliensibus plenè obediebant. Placuit ad neutrales transire, ut uerum apud eos liberiùs audiremus, & si recedendum esset ab uno extremorum, per aliquod medium transiremus ad alterum, & eorum iudicium spectaremus, qui non essent affecti causæ. Mansimus in aula Friderici pluribus annis, illic uarias audiuius opiniones. Neutralitatem iccirco Teutones induerant, ut concordia faciliùs inueniretur, non ex consilio Solonis, qui tumultuante ciuitate extorrem fecit, qui sine parte remansit. Multa inter neutrales didicimus, quæ nos antea latebant: Eugenium falsò de multis accusatum inuenimus; Cardinales, qui Basileam uenerant, ob priuatas inimicitias bono & sancto uiro notam inuere uoluisse: qui tamen cuncti postea ad eum redierunt, & ueniam errati petierunt. Fortè per id temporis Iulianus sancti Angeli Cardinalis, cuius supra meminimus, ex Vngaria, quæ sibi decreta contra Turcas fuerat prouincia, Flauinianum uenit, (quæ hodie Vienna dicitur) præcipuum Austriae columen: sæpe cum eo sermonem pro ueteri consuetudine miscuimus, sæpe de rebus Basiliensibus disputauimus. tuebamur antiquam sententiam: ille nouam defendebat. extollebamus generalis concilij auctoritatem: ille Apostolicæ sedis potestatem magnopere collaudabat. dicebamus concilium Basiliense iure perseuerasse, quamuis Eugenius præfidentes reuocasset, & hoc eius factum accusabamus: ille dissolutum seu translatum rite concilium affirmabat, & Basiliensium opera multis modis detestabatur, Basileæque non synodum ecclesiæ, sed Saranæ, & ministrorum eius synagogam remansisse dicebat. Diutina fuit inter nos concertatio, uerùm modesta & caritate plena: ad extremum cum suis scriptis, dictisque Cardinalem & uinceremus, premeremusque uehementer, subridens ille, Tu, inquit, Aenea tabellis obfignatis agis mecum: & quoniam aliquando sensimus ut dicis, iccirco & hodie idem putas debere sentire, & addictos priori sententiæ censes. uerùm propterea nos sumus liberi, quia mutare sententiam usque ad mortem possumus. cur enim non liceat omni tempore relicto falso uerum complecti? uerùm fateor me dixisse & scripsisse, quæ refers, uerum à uero remotum errasse: at tu, qui ais me doctore Basiliensibus credere adductus es, errantem olim sectatus sum, cur modò non sequeris recta monentem? Præsumpsi de me ipso, dum essem Basileæ, nimis, quamuis deceptus decepi, & credens prodesse, nocui. in medio ecclesiæ docens quæ non didici, cæcus erraui, & in tenebris ambulauit. reliqui tandem ecclesiæ malignantium, & cum impiis sedere recusaui. reuelauit dominus oculos meos, & consideraui mirabilia de lege sua. cognoui priorem errorem: & quantum à uero procul abiissent Basilienses, planè intellexi. adij Romanam curiam, & Eugenio, cum fuisset rebellis, submisi ceruicem: à quo misericordiam consecutus, ad unionem Græcorum nauau operam, & illis Romanæ ecclesiæ reconciliatis aduersus impios Turcas legationem accepi. castigans calligauit me dominus, & morti non tradidit me, sed humiliatum

liatum exaltauit : quia cognito in errore non perseueraui , sed niox in uiam redij , & ex magistro factus discipulus , ex magno paruus expurgato ueteri fermento , nouum hominem indui , & uera matris lacte nutritus ad fontem ueri peruēni , quem sancti doctores ostendunt Græci & Latini , quorum una uox est , saluari non posse , qui sanctæ Romanæ ecclesiæ non tenet unitatem , omnesque illas uirtutes mancas esse ei , qui summo Pont. obedire recusat ; quamuis in sacco , uel cinere iacens , dies & noctes ieiunet , & oret , & in ceteris uideatur legem implere : quia melior est obedientia , quam uictimæ , & omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta est , & Romanum præfulem in ecclesiæ uertice constitutum esse constat , à quo nullam ex ouibus Christi exemptam nouimus . Ego ad ouile redij , qui diu erraueram extra caulas , & pastoris Eugenij uocem audiui : tu si sapias , idem facies . haferunt pectori nostro uerba uiri , quæ sæpe ad nos repetiit non sine caritate ardenti , & amore singulari . Interea ex diuersis regionibus homines doctissimi Cæsarem adierunt , quibuscum placidos de eisdem rebus miscuimus sermones semper ad uerum intenti , cuius est natura hominis auida . Multum profuit nobis Ioannes Carauagialis Apostolici palatij auditor , natione Hispanus , qui , Iuliano defuncto , in titulo Cardinalatus ac legatione successit : quocum sæpe de concilio Basiliensium amicè disputauimus . Nemo doctus ad imperatorem uenit , quem de his rebus in colloquium non adduceremus . Cumque Cæsar ad unionem ecclesiæ procurandam in Nurimberga suæ nationis conuentum instituisset , decreuissetque summum Pontificem adhortari , ut Constantiæ nouum concilium indiceret , legatumque mitteret , ac Basilienses pariter inducere , ut eò se transferrent , ibi ut pax ecclesiæ redderetur ; primi Basilienses recusauere . Quod audiens Thomas Assalbachius ex Germanis insignis theologus , Nunc , inquit , scio Basilienses spiritum sanctum non habere ductorem , quando tam æquam imperatoris legem effugiunt . idem multi alij dixere uiri doctissimi , & opinione sanctitatis illustres . Quibus consideratis , caligo tandem ab oculis nostris cecidit , quæ , uelut aranearum tela , uerum cernere impediēbat . Recognouimus errorem nostrum , uenimus Romam , Basiliensium dogma reiecinus , Eugenio Pontifici maximo caput submissimus , & reconciliati ecclesiæ Romanæ doctrinam eius imbuimus , & illud Hieronymi diximus , Ego nullum pramium nisi Christum sequens beatitudini tuæ , id est , cathedræ Petri communiōne consortior . Super illam fundatam ecclesiam scio : quicumque extra hanc domum agnum Dominicum comederit , profanus est : si quis in arca Noæ non fuerit , peribit regnante diluuiō . Erasmusque adhuc panē laici , quando ad Eugenij obedientiam rediuimus . Ex Basilea clericali tantum caractere insigniti recessimus , nec unquam sacros imbuimus ordines , nisi post ueritatem cognitam , Basiliensium cecitate relicta . In Austria minores ordines , ac subdiaconatum , & diaconatum recepimus . In urbe ad presbyteratum peruenimus . Hæc est conuersatio nostra per hos gradus , è tenebris ad lucem migrauimus . ad quam rem non parū luminis nobis attulit Thomas Saracenus theologicæ sapientiæ celebratus , ac acutissimus interpret , qui postea in summo collocatus Apostolatu Nicolai quinti nomen accepit . His auctoribus unam ecclesiam catholicam , & apostolicam esse didicimus matrem omnium fidelium , extra quam non inuenitur salus , sponsam Christi immaculatam , in qua omnes , qui militant , finem sibi proponunt uitam æternam . iccirco enim in ecclesia militanti laborant homines , & cum dæmonibus tanquam hostibus pugnant , ut pacem tandem assequantur , & cum IESU magistro ac legifero suo in caelesti Ierusalem triumphare , ac regnare possint . Hic finis Christiano proponitur , huc omnes ecclesiæ militantis conatus , omnes leges , omnes regulæ tendunt . & quoniam ecclesia quidam exercitus est Deo militans , terribilis ut castrorum acies ordinata dicitur : uni proculdubio imperatori subest ; ad cuius nutū cuncta referantur . Cumque Pius ac max. & opt. Deus in suo sanguine fundauerit ecclesiam , eamque uoluerit ad finem usque sæculi perdurare : quis non dixerit in ea id regimen institutum esse , quod optimum censeretur ? at uerò inter genera gubernationum communis philosophorum sententia est , præstare monarchiam . & Romani , quorū toto miscuit orbe dignitas , quāuis eiectis regibus duos annos consules elegerunt , & modò tribunos addidere , modò alios magistratus inuenere ; in aduersis tamen casibus , bel-

lisque grauioribus ad unum aliquem recurrerunt, uirtute & auctoritate praestantem, quem dictatorem appellauerunt, cuius dicto non liceret aduersari. & quanquam dictaturam ab initio temporaneam instituerunt; in Iulio tamen & successoribus eius perpetua effecta est. Nec unquam Romana res admirabilior, aut celsior fuit, quam sub Augusto Caesare, quando iam clausis portis totus ferè orbis sub unius hominis gubernatione quieuit. Quo tempore natus mundi saluator monarchicum regimen ceteris praetulisse uidetur gubernationibus. Idem probat totius ferè orbis consuetudo, cuius maximam partem gubernant reges, siue Christianos intueamur, siue Barbaros. & quamuis ciuitates aliquot reperiantur, quæ cum maximè seruiant, liberas se se uocitant, sine rege uiuentes, non possunt tamen effugere, quin unum praferant aliis, ei que tanquam capiti pro tempore obediant. Quid plura? caelestis aula nos admonet. quid illa pulchrius? quid ordinatius? quid maius? aut durabilius? quid melius aut beatus? quamuis in ea & Angelorum diuersi sint ordines, & sanctorum spirituum innumerabiles chori; unus est tamen omnium rex aeternus Deus, qui condidit uniuersa, & nihil negligit eorum, quæ condidit. cuius filius unigenitus Christus Iesus cum pro nostra salute uenisset in hunc mundum, seruili accepta forma, ecclesiam, de qua loquimur, in cruce patiens, suo sanguine acquisiuit, & in ea usque in diem ascensionis corporaliter praesedit, & tanquam dux uerus & imperator, cuncta in finem suum direxit. at cum ascendisset in caelum, eum indubitanter sui gregis pastorem reliquit, cui dixerat, Pasce oues meas, & tibi dabo clauas regni caelorum. Neque enim dixit, & non fecit, qui solus est uerax. Grex Christi ecclesia est. Pastor primus ipse Christus fuit, & pastor bonus, qui posuit animam suam pro ouibus suis. Secundus pastor Petrus extitit ab ipso domino institutus, atque omni potestate donatus, quæ ad bene regendum commissas oues necessaria ducitur, alioqui Christus, qui sapientia patris est, & omnino sapienter egit, ecclesiae suae haud sufficienter prouidisset, quod est nefarium asserere. & quamuis plures per orbem ecclesiae instituta fuerint, & plures episcopi, id est, plures greges, & ouilia plura, & pastores plures: omnes tamen sub uno pastore, & in uno grege, atque ouili continebantur, sicut & hodie continentur: quia unus est Christi thalamus, una sponsa, unum ouile, & unus pastor, & omnium episcoporum unus episcopus Romanus praesul beati Petri successor, & Iesu Christi uicarius. Petrus enim in Antiochia primum sedit, deinde Romam uenit. unde cum persecutionem fugiens, uellet abire, à domino prohibitus est, & hic glorioso martyrio uitam finiuit successore Clemente substituto, atque ita in hanc usque diem seruatum est, ut qui Romae federit antistes rite institutus per legitimum electionis tramitem, tanquam Aaron uocatus à domino, hunc omnes Christianae plebes, omnes populi, omnes reges, omnes clerici, omnes episcopi tanquam Iesu Christi uicarium & beati Petri successorem uniuersalis ecclesiae caput ac rectorem & ducem uenerati sint. Inter quos plurimi pro Christi nomine asperrimos perpassi cruciatus, & morte multati, coronam martyrij susceperunt. Plurimi confessores, egregij, uita, moribus, & doctrina fulgentes, quamuis sine sanguinis effusione, non tamen sine periculis & labore, ac uoluntate parata pro conseruanda sacri euangelij auctoritate moriendi ad caelestem gloriam peruenire: ut Gregorij, Damasi, Leonis, Innocentij, Bonifacij, Benedicti, & alia nomina, inter quæ tertius claruit Eugenius ex monasterio sancti Anastasij ad summum sacerdotium euocatus, ad quem diuus Bernardus monachorum pater non minùs doctrinae fulgore, quam uitae sanctimonia illustris, inter multa, huiusmodi uerba conscripsit. Indagemus, inquit, adhuc diligentius quid sis, quam geras uidelicet personam pro tempore in ecclesia Dei. Tu es sacerdos magnus, summus Pontifex, tu princeps episcoporum, tu haeres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctio Christus, tu es, cui clauis tradita, cui oues credita sunt. Sunt & alij quidem caeli ianitores, & gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius utrunque praes illis nomen haereditasti. Habent illi assignatos sibi greges singulis singulos, tibi uniuersi crediti uni sumus. Nec modò ouium sed & pastorum, tu unus
omnium

omnium pastor . Hæc Bernardus ad Eugenium III. scribit , cui supremam & omnimodam in ecclesia potestatem concedit . Quod ille de tertio testatur Eugenio , hoc nos de quarto , & omnibus aliis Romanis Pontificibus profitemur , quia dignitatis est auctoritas . Liquet igitur unum in ecclesia caput esse , & unum principem : quia pax populi ex uno rectore dependet , & pluralitas principum discordiam parit . Christus ecclesiæ suæ in ultimo testamento pacem reliquit , & pacem multis uerbis commendauit . dedit ergo & regimen pacis amicum , id est , monarchicum , sub beato Petro , & successoribus eius administrari , cuncta præcipiens clauibus illi commisisis , & cura gregis demandata . Hæc nos de Romani Pontificis auctoritate , & potestate sentimus , cui & congregare generalia concilia , & dissoluere datum est : qui etsi filius est propter regenerationem , propter dignitatem tamen pater habetur : & sicuti filiationis causa uenerari debet ecclesiam , tanquam matrem ; ita & prælationis causa præfertur ei , ut pastor gregi , princeps populo , rector familiæ . Cum his & generalis concilij auctoritatem & potestatem complectimur , quemadmodum æuo nostro Cōstantiæ , dum ibi fuit synodus uniuersalis , declaratum definitumq; est . ueneramur enim Constantien. conciliū , & cuncta , quæ præcesserunt , à Romanis Pontificibus nostris præcessoribus approbata . inter quæ nullum inuenimus unquam fuisse ratum , quod stante Romano indubitato præfule absque ipsius auctoritate conuenerit . quia non est corpus ecclesiæ sine capite , & omnis ex capite defluit in membra potestas . Hæc nostra sententia est , filij ; hæc credimus , & profitemur ; hæc iam senes , & in Apostolatus apice constituti , pro ueritate asserimus : si qua uel uobis , uel alijs cōscripsimus aliquando , quæ huic doctrinæ repugnēt , illa , taquam erronea , & iuuenilis animi parum pensata iudicia , reuocamus , atq; omnino respuimus . Dat. Romæ apud sanctum Petrum , VI kalendas Maias millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio .

Pij Papæ II. Bullæ retractationum omnium dudum per eum in minoribus adhuc agentem pro concilio Basilien. & contra Eugenium summum Pont. scriptorum finis .

concordia Babilonia & contra Iherosolimitana
Petrus scripturae hinc.

Franciscus Maria Piccolomineus Senensis,
EPISCOPVS ILCINENSIS,

^{MO} ILLVSTRISS. AC ^{MO}AMPLISS. DOMINO
D. CARDINALI AVGVSTANO,
& S. R. E. Episcopo Albanensi,
S. P. D.





TRIDENTI nuper cùm œcumenicum concilium haberetur, significatum mihi est, theologum quendam Louaniensem, uirum doctum, & integri nominis, apud se Pij II. Pontificis maximi diploma, bona fide ex autographo descriptum, habere: cuius emittendi, hoc sanctiss. Pontifici consilium nimirum fuit, ne quæ ipse iuuenis ac propè laicus de actis concilij Basiliensis scripserat, ullam posteris offensionem gignerent. Hoc uerò diploma, quo D. Augustini secutus exemplum, disertè sua illa non fortasse satis excocta retractat, cùm & uidissem ipse, & plures patres doctissimi legissent, horum iudicio dignum existimaui, quòd in lucem ueniret, cùm ob historię fidem, quæ illius concilij tota propemodum eo diplomate continetur, tum ut hominem & re, & nomine Pium omni apud bonos cordatosq; uiros suspitione liberarem. eius autem negotij curam mortalium nemini magis, quàm mihi conuenire putauit, non modò, quòd ipsi mecum commune cognomen est, quodq; eum gentis stirpisq; meæ ornamentum coluerim semper unice; sed maximè, quòd eius ecclesiæ geram Episcopatum, quam cum Pientina & erexit, & uniuit. Existimaui itaque ad officium pietatis meæ pertinere, ut id diploma quamprimum typis excludi curarem; dignumq; duxi, ut tuæ unius amplitudinis auspiciis in publicum prodiret: nam cùm eum tu Pontificem summum atque doctissimum uirtute & eruditione ac pietate pulcherrimè referas, accessit fatale unum aliquid inter ambos, minimè quidem uulgare, ut idem tibi, quod, ipsi esset Pellicani insigne; idem utrique fuerit sanctæ Sabinae titulus; idem præposituræ
A ij Herbipolensis


Herbipolensis magistratus ; idemq; sit prorsus amor erga gentem Piccolomineam ; tuus autem maximus , & in me præsertim . quod quidem omnibus benevolentia argumentis ostendisti . Si id tibi iucundum accidisse cognouero , alia quædam eiusdem Pontificis in hunc diem pressa , digna tamen quæ legantur à doctis , & piis , lubentiùs expromi curabo . Interim seruitutem meam ex animo amplitudini tuæ defero , atque commendo. Venetijs IIII. idus Decemb. M D LXIII.



Dice
dem
ci
di
.
ms
I.







Handwritten note in the bottom right corner, possibly a name or a short note, partially obscured by the binding.

